


ANN. XIX - FASC. XI

MENSE NOVEMBRI MCMXXXII

# ALMA ROMA



VIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
**TENET**



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

*Editio altera locupletior.*

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Novembri MCMXXXII

Fasc. XI

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

#### De coniugatione verborum.<sup>1</sup>

V. - Ad coniugationem « medium »<sup>2</sup> pertinent:

1) verba deponentia;<sup>3</sup> v. g.:  
Improba pugnat hiems, *indignaturque*  
quod ausim scribere (Ov.).

Incolumentem deditis pollicebatur (Caesar).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Coniugatio *media* fere indicat subiectum non solummodo subiecti munere fungi, sed etiam esse obiectum indirectum actionis (RIEMANN et GÄLZER, *Grammaire comparée*, II, n. 207). Apud Latinos coniugatio *media* dici potest ea quae terminacionem quidem passivam, significationem vero aut reflexam aut transitivam aut intransitivam habet (Cf. Nomico, *De proprietibus linguae latinae*, n. 157).

*NB.* - a) Nonnulla verba in « o » participium praeteriti temporis, aut etiam quae inde nascuntur tempora habent formae passivae, at significationis activae. Praecipua sunt: *adultus, obsoletus, coenatus, iuvatus, potus, pransus,* et composita inde adiectiva *impransus, incoenatus, iniuratus.* — Item *osus sum, exosus sum, perosus sum,* quae transitiva sunt. — Denique *ausus, fisus, gavisus, solitus sum,* cum compositis: v. g.: *Coenato mihi et iam dormitanti epistola illa est reddita* (Cic., *Att.*, II, 16). — *Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis* (Cic., *Pro Mil.*, 21). —

Caesar, nulla interposita mora, proficiuntur (Caes., *De Bel. civ.*, III, 12, 1).

2) verba passiva quae

a) aut actionem reflexam exprimunt ut: *lavari, exerceri, moveri, congregari,*

*Iniurato plus credet mihi, quam iurato tibi* (PLAUT., *Amph.*). — *Plebs consulum nomen perosa est* (T. L., III, 34).

Haec participia et quae inde nascuntur tempora ad coniugationem medium pertinent.

b) Certa participia passiva cum accusativo graeco relationis significationem reflexam habent. Quae tunc et ipsa ad coniugationem medium pertinere dici possunt (RIEMANN et GÄLZER, loc. cit., n. 210, 20): v. g.: *Percussa pectora* (VERG., *Aen.*, XI, 877). — *Lacrimis perfusa genas* (VERG., *Aen.*, XII, 64-65).

3) a) Deponentia quaedam olim sensu passivo fuerunt usurpata, et hinc a grammaticis vocata fuere *communia*, quod una terminazione utramque simul significationem complecterentur, activam et passivam; v. g.: *Quum agros maximos et feracissimos depopularetur* (CIC., *in Verr.*, II, 3, 36). — *Omnis ora maritima depopulata ab Achaeis fuerat* (T. L., XXXVII, 4).

b) Paulo usitatoria sensu passivo, praesertim apud poetas, sunt verborum *communium* participia praeteriti temporis et quae inde nascuntur tempora. Quorum, quae aliquam auctoritatem habent, sunt ferme: *adeptus, commentatus, complexus, confessus, contestatus, detestatus, populatus, depopulatus, dimensus, emensus, effatus, ementitus, expertus, execratus, interpretatus, meditatus, pactus, perfunctus, pericitatus, testatus;* v. g.: *Uno maleficio sclera omnia complexa esse videntur* (CIC., *Pro Rosc. Am.*, 13). — *Ita illud somnium interpretatum est* (CIC., *De Div.*,

*coniungi, dedi, purgari, falli, ferri... etc.*<sup>1</sup>  
Quam coniugationem medium vocant directam; v. g.:

Ut exerceamur in venando (Cic., *De Nat. deor.*, II, 64, 161).

Apium examina congregantur (Cic., *De Off.*, I, 44, 157).

I, 25). — *Meditata* mihi sunt omnia mea incommoda (TER., *Phorm.*, II, 3).

NB. - 1) Ex iis plura non nisi a poëtis usurpata fuere.

2) Haec participia non penitus ut passiva fuerunt adhibita. In soluta enim oratione vix reperiuntur constructa in ablativo absoluto. Singulares itaque loci sunt: *Pericitatis moribus amicorum* (Cic., *De Am.*, 17). — *Adepta libertate* (SALL., *Cat.*, 7). — Quae nullatenus sunt imitanda.

3) Huiusmodi participiis Cicero adiungere solet participium passivum verbi activi; v. g.: *Dimensus atque descriptus*. — *Populatus atque vexatus*. — Sua et commentata et scripta.

c) Adiectiva in *bundus*, quae pertinent ad verba deponentia, usurpantur, sive sensu activo (v. g.: *Populabundus agros*), sive sensu reflexo (v. g.: *Laetabundus*). Non usurpantur sensu passivo. Si sensus passivus foret exprimendus, ut oportaret adiectivo verbali in *dus, da, dum*: v. g.: *Venerandus* (non: *venerabundus*).

1) Quaedam ex his verbis participium activae vocis aut gerundum habent cum sensu reflexo; v. g.: *Cum ceteris in campo exercentibus* (se) (Cic., *De Orat.*, II, 71-287). — *Tibi ambulandum, ungendum* (te) (Cic., *Att.*, IV, 7, 7). — *Lavans, lavandi causa* (T. L., XLIV, 6, 1, et XXV, 17, 1).

b) Quum actionem agentis in seipsum enitere volunt, utuntur coniugatione activa cum personalibus; v. g.: *Scipio imperatorem se appellaverat* (CAES., *De bel. civ.*, III, 31, 1). — Natura docet non negligere quemadmodum *nos* adversus homines *geramus* (Cic.). — *Libris me delecto*.

NB. — Qui construendi modus et prior interdum videntur indiscriminatum usurpari posse. Quorum ute potior sit usus docebit; v. g.: Ad spectaculum omnes effunduntur (T. L., XXXIX, 49, 8). — Omnis se multitudine effudit (CAES., *De bel. civ.*, II, 7, 3). — Sic «*im-misceri*» rarius est quam «*se immiscere*, «*se impli-care*» rarius quam «*implicari*».

c) Hinc actio reflexa, quibusdam in verbis reddi potest tripliciter: sive coniugatione passiva (v. g.: *Moveri*); sive coniugatione pronominali (v. g.: *Se move-re*), sive coniugatione activa absoluta (v. g.: *Movere*). — Cf. supra, I, 20.

Stellae tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem (Cic., *De Nat. deor.*, II, 20, 51).

Panico vetere atque hordeo corrupto alebantur (Caes., *De Bel. gal.*, II, 21, 1).

b) aut, amissa significatione passiva, intransitive accipiuntur, ut saepe: *videri, gigni, fieri*; v. g.:

Nunquam periculi fuga committendum est ut imbellis timidique videamur (Cic., *De Off.*, I, 24).

Aegritudines, metus et reliquae perturbationes ex intemperantia gignuntur (Cic., *Tusc.*, IV, 9).

Bonus segnior fit, ubi negligas (Sall.).

VI. — Activa passivis permuntant Latinis:<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Passivum est sive personale (v. g.: *Darius vivus est*), sive impersonale (v. g.: *Curritur, ventum est*). Impersonale nominativum non habet.

a) Transitiva ex neutris et praepositione orta eatenus solum passivum personale gignunt, quatenus eorum accusativus considerari potest ut vere ab eis pendens tanquam actionis obiectum. Sic legimus, v. g.: *Nemo a proximis anteiri vult*. — *Alpes a Pacinis transitae*. — *Circumsessis castris*. — *Illusis Cretenibus*. — *Scipio allatrici solitus est a Catone*. — *Massilia alluitur mari*. — *Massilia barbariae fluctibus alluitur* (Cic.). — *Hostes invaduntur*. — At non dices: *Urbs praeterfluitur, rostra advolantur*, aut similia; quae modico usu facile innotescunt, et in quibus accusativus penitus a praepositione pendet.

b) Neutra quae quandoque transitivam significationem habent aut certos accusativos admittunt, eatenus et ipsa passivum personale formant; etsi in multis passiva constructio aut nullatenus aut tantum frequentatur a poëtis; v. g.: *Pugna illa, quae cum rege summa contentione pugnata est* (Cic., *Pro Mur.*, 16).

c) Poëtae facultatem vertendi accusativum activae vocis in nominativum passivae eo usque extendunt, ut etiam accusativum temporis, neutris additum, mutent in nominativum passivi. Sic quia dicimus: *dormio totam hiemem, tertiam aetatem vivit, noctes vigilat...* etc., passive dicunt: tota mihi dormitur *hiems* (Martial.). — *Iam tertia vivitur aetas — Noctes vigilantur amarae*. — *Quae vigilanda viris* (VERG.) Caesar ipse (*De bel. gal.*, V, 39) scribit: *Aegre is dies sustentatur, pro: Aegre per eum diem sustentantur hostes*. Quod non imitandum.

1º ad ambiguitatem tollendam; <sup>1</sup> v. g.:

Audimus *Darium ab Alexandro esse superatum*. (Non autem: *Darium Alexandrum superasse*).

Pater tuus P. Nasicae *virtute, consilio, magnitudine animi liberatam esse rem publicam arbitrabatur* (Cic., *Somnium Scip.*).

A Romulo fratre occisum esse Remum certum est.

2º ad copiam ac maiestatem et numerum elocutioni tribuenda; v. g.:

A me tota Asia peragrata est (= totam Asiam peragravi (Cic.).

Acta Caesaris, pacis causâ, *confirmata sunt a senatu* (= confirmavit senatus) (Cic.).

*Divitiae a stultis magis quam a sapientibus expetuntur* (Cic.).

3º ad usum sequendum et indeolem linguae latinae, quae multo magis voce passiva delectatur quam activa. <sup>2</sup> Sic

a) plerumque activa passivis permuntant ne substantiva abstracta et ea fere quibus aliquid inanimatum denotatur sint nominativi verborum, quibus actio aut affectus exprimitur; v. g.:

*Amici probantur rebus adversis* (= amicos probant res adversae) (Cic.).

*Somno et metu impedita est fuga* (Sall.).

<sup>1</sup> a) Haec ratio devitandae ambiguitatis praesertim valet in propositionibus infinitivis. Quae amphibolia; v. g.: in exemplo: *Aio te, Oeacida, Romanos vincere posse*.

b) Quum tamen sensus per se patet, ambiguitatem ex usu vocis activae parum curant; v. g.: Omnes scierunt *numinum praesentiam vati dedisse vitam* (PHAEDR., IV, 23). — *Illud argentum se paucis illis diebus misisse* Lilybaeum (Cic., *Verr.*, II, 4, 18, 39). — Nam, lingua latina, licet sit perspicuitatis generatim amicissima sicut omnes linguae classicae, tamen non est fugienda ambiguitatis tantum curiosa quantum linguae hodiernae.

<sup>2</sup> Voce passiva frequenter uti, genuinae indoli linguae latinae est omnino consentaneum. Hoc patet ex probatorum scriptorum lectione.

*Memoria exercitatione firmatur* (Quintil.).

b) dicitur «*coepitus sum*», «*desitus sum*» pro «*caepi*», «*desii*» ante infinitivum passivae vocis; <sup>1</sup> non vero coniugationis mediae; <sup>2</sup> v. g.:

*Quae tractari coepita sunt* (Cic., *Tusc.*, I, 13, 29).

*Desiderari coepita est* Epaminondae diligentia (C. N., *Ep.*, 7, 16).

*Lapides in murum iaci coepiti sunt* (Caes.).

*Coepitum est a nobis pugnari* cum hoste.

Papirius Crassus primum est Papisius vocari *desitus* (Cic., *Fam.*, IX, 21).

Veteres orationes a plerisque *legi sunt desitiae* (Cic., *Brut.*, 32, 12, 3).

(Ad proximum numerum).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

<sup>1</sup> Verba «*possum, queo et nequo, coepi et incipio; desino, debo, soleo*, quum infinitivum verbi impersonalis passivae vocis comitantur, fiunt etiam ipsa impersonalia; v. g.: *Non potest incunde vivi*, nisi cum virtute vivatur (Cic., *Tusc.*, III, 20). — Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis, a diis immortalibus consuli et provideri solet (Cic., *De Nat. deor.*, II, 65).

NB. - 1) Pro «*debet*» cum infinitivo passivi potius usurpatum participium in «*dus*».

2) Cum hisce verbis sic fit activorum in passiva permutation: Active: *Onuses solent laudare virtutem*. Passive: *Virtus solet laudari ab omnibus*. Active: *Iuvenes possunt sancte vivere*. Passive: *Potest sancte a iuvenibus vivi*. — Active: *Coepimus pugnare cum hoste*. Passive: *Coepitum est a nobis pugnari cum hoste*. — Ut videre est, in hac permutatione, nominativi; *omnes, iuvenes, (nos)* facti sunt ablativi constructionis passivae. Ablativus autem passivi post impersonalia non ita frequenter occurrit. Proinde, cum contextus id patitur, reticeri solet.

<sup>3</sup> Hinc Tullius scribit: *Plura fieri iudicia coepiunt* (Cic., *Brutus*, 27, 106). NB. — Etiam cum infinitivo passivo legitur interdum «*coepi*», non «*coepitus sum*»; v. g.: Postquam apud Cadmeam *pugnari* cum Lacedaemoniis *coepit* (C. N., *Ep.*, 10). — *Coepit a nobis pugnari* cum hoste. — *Educi coepere* (T. L., XXXV, 85, 10).

## ARCHAEOLOGICAE NOTAE

## De Romanis sectarum haereticarum coemeteriis

Qui usque nunc de Christianorum coemeteriis in hoc commentario retuli, de sectarum haereticarum locis sepulcralibus brevi hodie agere institui: et haereticos enim propria coemeteria sub terris, eaque parum vel nihil a fidelium Christianorum coemeteriis discrepantia Romae habuisse, non pauca testimonia confirmant.

Ita Novatiani reliquias martyris Silani, minoris natu filiorum S. Felicitatis, furati sunt, fortasse — ut clarissimum De Rossi autumavit — ut sepultra suorum sancta quodammodo efficerent. Quae quidem reliquiae nonnisi saeculo v, iussu Innocentii I Pontificis, qui anno ccccxvi dissentientes illos ecclesiis privavit, coemeterio « ad S. Felicitatem » in via Salaria restituae sunt.

Certe, Tertullianistae duo ex Africa Romam missi, iam inde ab origine eorum schismatis, a tyranno Maximo impetraverunt ut coemeterium proprium ibi construerent; nempe obtinuerunt « sibi collegium extra muros Urbis fabricare. Hoc deinde minime contenti, sepulcrum Ss. Processi et Martiniani veluti suum occuparunt, neque prius Roma sunt expulsi, quam tyrannus ipse exactus est; sic « martyrum suorum excubias Deus catholicae festivitati restituit ». <sup>1</sup>

Ante id tempus et haeretici Noetiani, et Sabelliani, et Monarchiani, et Patrissiani in Urbe pullularunt, pontificibus Zephirino praesertim et Callisto acerrime adversantes; praeterea Valentiniiani, magna Gnosticorum propago; qui proculdubio

propria coemeteria subterranea habuere, et quidem a catholicis seiuncta. Id evidens fit ex eo quod, ut resert Boldetti,<sup>1</sup> quum haeretici in Oriente coemeterium quoddam occupassent, ubi martyrum corpora iacebant, Eustratius et Hilario monachi S. Niccephorum, Constantinopolitanum patriarcham, interrogaverunt « an oporteret in eorum — (idest martyrum) — coemeteria ingredi, illicque precari et adorare Deum, dum ea a pollutis sacerdotibus tenerentur »; quibus haec pius Patriarcha respondit: « Non permittit Canon, seu Regula, secundum ea quae prius declarata sunt, in eorum coemeteria introire; nisi forte ex necessitate ad venerandas solummodo Sanctorum reliquias introitus fiat ». <sup>2</sup>

Concilium autem Laodicense, inter annos cccxli et ccclxxx celebratum, haec habet (can. IX): « Non concedendum esse, ut in coemeteria, vel in ea quae dicuntur martyria quorumvis haereticorum, adeant illi qui sunt Ecclesiae, orationis vel venerationis gratia. Cui praecripto et sanctiōnem Concilium addidit: « Sed tales si sint fideles, esse aliquantis per excommunicatos: sin autem poenitentia ducantur et se deliquesce confiteantur, suscipi ». Cuius rei ratio in can. XXXIII eiusdem Concilii reperitur: « Quod non oportet cum haereticis, vel schismaticis orare ».

\* \* \*

Hisce positis, ad monumenta deveniamus.

Sententia I. B. De Rossi fuit, hypogea Christiana gentilicia a necropolibus sepulta ad haereticos pertinere potuisse. Quod tamen absolute dici nequit, quia priscis temporibus sepultra Christiana necessario gentilicia et separata invicem fuere; neque ulla exstat ecclesiastica lex Christianos

<sup>1</sup> De praedestinatorum haeresi apud SIRMONDUM, Opp. t. I. pag. 52.

<sup>2</sup> Osservazioni sopra i cimiteri, etc. pag. 89.

<sup>2</sup> Cfr. COTELER Monumenta Eccl. Graecae, t. III, pag. 452.

adigens ad propriam sepulturam in communi coemeterio parandam.

Narrat Marangoni<sup>1</sup> se apud viam, quae Romae « a septem Ecclesiis » nomen assumpsit, anno MDCCXLII, coemeterium quoddam invenisse, ad quod per magnificam scalam erat accessus, et in quo arcosolium erat musivis exornatum, immaginem Servatoris super globo sedentis prae se ferens, inter apostolos Petrum et Paulum. Super Christi imagine hanc legit inscriptionem: QVI · ET · FILIUS · DICERIS · ET · PATER · INVENIRIS. Haec — ut notat De Rossi — propria Sabellianorum formula est, qui Patrem et Filium unum faciebant. Coemeterium igitur illud ad Sabellianos pertinet.<sup>2</sup>

Ut de aliis inscriptionibus taceam, quippe quae cum doctrina catholica convenire possint, imo Fidei professionis speciem adversus contrariam haeresim videri, de alia mentionem faciam graece scriptam, quae in lucem apparuit quum ethnica sepultra iuxta viam Latinam effoderentur. De muliere agitur « chrismate incorruptibili et puro uncta in Christi lavacris, divinos immortalium vultus videre » — ut legitur — festinante; quae quidem verba in aeonum Gnosticorum theologicam conceptionem quadrare videntur. Atqui, non longe a loco, ubi inscriptio illa inventa est, parvum coemeterium detectum est quadraginta continens sepultra, sed nulla Christiana inscriptione praeditum. Quaedam tamen picturae Bonum Pastorem, Noe, Danielem, Ionamque exhibentes Christianum coemeteriolum illud esse testabantur, quod tamen clarissimus Marucchi contendit ad haereticos Valentianos pertinuisse.

Evidem mihi dubia adhuc res videtur,

<sup>1</sup> Cose gentilesche, p. 462, et Storia del Sancta sanctorum, pag. 118.

<sup>2</sup> MARANGONI, op. cit. Hodie vero coemeterium illud, quod iuxta viam Ardeatinam erat, ignoratur.

sed animadversiones egregii magistri non sunt spernendae, eoque magis quod perspicue demonstrant quantum sit historia et litteris Christianis instructus archaeologus oporteat in huiusmodi investigationibus; eas proinde referre operae pretium est.

1º Coemeterium sine nomine, de quo agitur, non longe distat ab aliis viae Latinae coemeteriis Christianis, saltem a coemeterio Apronian, quod prope Urbem erat, et saeculo iv adscribi debet. Sed coemeterium idem, separatum et parvum, potest iure merito haereticae sectae tribui, quum illo tempore fideles omnes apud martyres in magnis communibusque necropolibus deponi desiderarent.

2º Eo in coemeterio novae conspiciuntur architecturae formae, ut duo cubicula cum columna tophacea in medio quasi fornicem sustinente, duo sepultra more hebraico effossa,<sup>1</sup> et quoddam sepulcrum non usitatae formae; quae omnia non ibi Ecclesiae fossores elaborasse innuunt.

3º Picturae ibi effectae, praeter solitas, etiam inusitato modo scaenas quasdam repreäsentant, ut mensam eucharisticam cum duodecim convivis, et quattuor vasa, quorum unum ceteris maius. Porro utraque ad Valentinianorum mores et doctrinam alludere videtur, quum ex Irenaeo sciamus quemdam Marcum voluisse ut et mulieres quodammodo Missam celebrarent; hinc plurium vasorum usus, quorum unum, ut ex textu qui sequitur appetat, ceteris maius esse debebat: « Rursus mulieribus dans (Marcus) calices mistos, ipsas gratias agere iubet praesente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo maiorem quam

<sup>1</sup> Hoc nullam revera difficultatem facessit, quia et in coemeterio Callisti, et in Commodillae coemeterio eiusmodi sepultra more Iudaico effossa conspiciuntur. Neque fortasse magis ad rem faciunt columnae fornices sustinentes, quippe quas nimis solutus tophus videtur requisiisse, et in Christianis extra Romam catacumbis, verbi gratia Neapoli, reperire haud rarum est.

est ille in quo illa seducta Eucharistiam facit proferens et transfundens a *minori* qui est a muliere eucharistia factus in illum qui est ab eo allatus *multo maiorem* statim dicens ita... et alia quaedam dicens et in insaniam mittens illam infelicem admirabilia faciens appetet quando *maior calix adimpletus est de minori calice ut et supereffunderet ex eo, etc.* <sup>1</sup>

<sup>4º</sup> Numerus quoque convivarum duodenarius cum Valentianiana haeresi congruentiam aliquam proferre videtur; namque ipse Irenaeus de ea loquens scribit; « *Duodecadem autem erga quam et mysterium passionis vel labis fuisse, ex qua passione visibilia fabricata esse volunt, signanter et manifestissime positam ubique dicunt. Et duodecim quoque tribus et logim varium duodecim habens lapides et duodecim tintinnabula et eos qui a Moyse positi sunt sub monte duodecim lapides, similiter autem et eos qui a Iesu in flumine positi sunt et alteros qui transpositi sunt et portantes arcum testamenti et eos qui ab Helia positi sunt in olocausto vituli; et numerum quoque apostolorum et *omnia omnino quaecumque duodecim numerum custodiunt duodecadem ipsorum significasse volunt* » <sup>2</sup>. Videlicet duodenarius numerus sacer Valentianis erat ipsorumque societatis signum. Quae indicia omnia non quidem sunt parvi pendenda; quaestionem vero ultimo non solvunt.*

\* \*

Solet ut haereticorum hypogaeum designari quoque coemeteriolum quoddam Appiae viae, *Syncretistarum* vocatum, et iam ab antiquis temporibus, non tamen ante pacem Ecclesiae, cum coemeterio Praetextati communicans. Communicatio

<sup>1</sup> IRENAEUS, *Adversus haereses*, I, c. XIII, 2. — Cfr. *Patrol. graec.*, vol. VII, coll. 579 sqq.

<sup>2</sup> IRENAEUS, loc. cit., lib. I, c. XVIII, 4. — *Patrol. graec.*, XV, 2.

mero casu facta videtur. Syncretistae autem hi non quidem haeretici, sed ethnici fuere, quum nihil de Christiana religione accepterint, sed solummodo, ceterarum orientalium religionum instar, quamdam iudicii post obitum futuri, mensaeque caelstis, necnon genitorum seu angelorum conceptionem habuerint. Rem prorsus illustrant parvuli ipsius Appiae viae coemeterii picturae; quas tamen, ne nimis in longum traham, hic describere non aggrediar. Hae vero picturae non parvi momenti pro recta Christianarum eiusdem generis picturarum interpretatione sunt. Eo enim quod ethnicas vitae futurae conceptiones et Christianas conferre simul et componere voluerint, clare nobis protulerunt, quae nunquam explicate Christiani pictores praesentarunt.

Praeter haec, nil aliud invenitur in suburbio Romano de haereticorum coemeteriis.

S. S.

## “ PERVIGILUM ”

Peritorum concilium ad postremum certamen poeticum Ruspantium iudicandum constitutum, nullum carmen praemio dignum censuit; duo vero laudavit, quorum alterum *Pervigilium* inscriptum. Id typis recens editum est et ad nos pro sua humanitate missum ab auctore, Junio Garavani, ex Instituto Magistrali Anconitano, atque socio nostro clarissimo; quem nobis confidimus veniam daturum, si poematis sui syntesim et excerpta hodie lectoribus praebemus. Ecquid non? Per eius enim versus, et eos faciles, concinnos et Horatiano sale saepe aspersos, is nobiscum conspirat re demonstrans, quod iamdiu contendimus, latinam linguam vel ad recentissima omnis generis exprimenda etiam nunc valere,

et quidem non absque nitore ac venustate.

Iamque a titulo « *Pervigilium* », novi aliquid et inusitati Junius noster se celebraturum praenuntiat, nempe descriptionem nocturnarum illarum effrenatarum chorearum, quibus Bacchanalium tempore, heu! homines effundi ad luxuriam solent, dum

... *languens annis orbisque putillus  
stultus agitat...*

*Personis placeat pictis abscondere vultus;  
cum doleant animi, gaudia ferre iuvat...  
O miseri! lacrimis terrae submergitur orbis,  
sollicitudinibus pectora pressa gemunt;*

atque tamen

qui sine pane canit; qui sine pace, salit.

Hisce et similibus in exordio animum, et propositum suum quum perspicue significaverit, poeta lectorem ad theatrum ducit, cuius

*aula micat pronis pendentibus alta coronis,  
fragrans frondosis versicolorque rosis;  
haerent et muris tabulae renitentque figuris;  
splendent mille locis tectaque, mille focis;*

atque in cellis cum matronis ipsisque incautis puellis

*gestit Amor, ludis impiger arte rudit,*

et impudica Venus in solium effertur.

At symphonia canere paratur: adest phonascus, habens in manibus virgulam, quacum signo dato,

*organa multa simul voces et murmura miscent;  
tibicen, fidicen, dat tubicenque sonos.*

*Est fidibus laeva locus, inflat tibia dextra,*

*ultima stant magno tympana cum strepitu;*

*at cordae variant, vario discriminare, formas*

*sunt vastae cytharae, cum chele psalterium;*

*ac tuba cum sociis hic cantat, classica clangunt,*

*buccina se iactat, cornua lenta boant,*

*saxofonae buxi flatus quae molliter aequant,*

*tingere nec voces foemineas dubitant.*

*Sint vobis tandem maiores, tympana, laudes,*

*ictus quae numeris associare iuvat,*

*cymbala, vos, crotala, et vos, tintinnabula, miror,*

*Afrorum in choreis quot crepitacula sunt.*

En tibi, candide lector, inconditum illud, auresque o quantum delectans, *jazz band*,

nunc in morem ubique inductum. Maiora vero de choreis auctor aggreditur; profert enim nobis et saltum vulpis (*fox trot*) et simium (*shimmy*) et ludios

*tangentes vix nexos, lento moderamine, terram* (nempe saltantes *tango*), aut *dubio sistentes* *saepe pede* (*exitation*). Quod si recta rapidoque modulamine gressum properent, duplex est *rhythmus* (*two step*), singulus aut numerus (*one step*).

*Aversis pedibus Mauri de more laborant<sup>1</sup>  
aut musae<sup>2</sup> cortex motibus est nova lex;<sup>3</sup>  
passibus alternis mox ante retroque recursant,  
haerent et fracto corpora quassa modo.<sup>4</sup>*

Aedopol! ecquid magis novum Garavanius exprimere melius poterat?

Pergit deinde ad personas, inter quas

*Millia sunt scurrae, pueri scurraeque puellae,<sup>5</sup>  
nigris et tunicis<sup>6</sup> circulus albus inest,*

et omnis ordinis gentes, summi et infimi, et genus omne ferarum. Ex his irruit in caveam taurus, cuius tergis mactatores inhaerent; hi ferunt gladio beluam; sed *vulnere sanguis abest, leviter modo et unguina* [manant matronas spargit Koloniensis aqua.

Iamvero theatri magnae panduntur portae; nunc plaustra sequuntur, quae praemia certatim petunt.

Primum inscriptum in tabula habet:  
« Fit nova virgo »; profecto, ad rem, prima agit tonsor, qui huic virginis

*crines sub vertice radit,  
cervicem spoliat; pulcher ephebus erit...*

Plaustrum alterum scholam effingit, cuius discipulis, garrulis,

*aures indociles crescere nempe vides.*

<sup>1</sup> Charleston.

<sup>2</sup> Musa paradisiaca — banana.

<sup>3</sup> Black bottom.

<sup>4</sup> Rumba.

<sup>5</sup> Italice: *pagliacci*, *pagliaccette*; Gallice: *pierrots et pierrettes*.

<sup>6</sup> Vulgo *domino*.

Vindemiam tertium, nuptias quartum. Quae vero hodiernae nuptiae?

*Uxor uterque simul felium certantque vicissim, iras et miscet non simulatus amor. Mox coniux baculo dilectam mulcet, at ipsa unguibus infestis pingit et ora viri.*

Hinc divertium et ad alios amores convolutio!

Quintus currus Neptuni lascivum regnum, sextus balnea lepide reaesentat: uterque navalem pugnam ineunt, dum *Plaudit utrimque strepens mala personata voluptas, matronae e cellis ludicra tela ruunt,*

et scurrarum agmen cellas scandit, invadit, puellasque ad choreas rapit.

Currus alii succedunt, iisque de publicis rebus: hinc «nationalistae», ut ita dicam, sacras aquilas et fasces et lupam celebrant; inde signa tremenda rubescunt, horrisorum carmen sidera summa ferit, et malleus et falces manibus crispantur: hinc etiam conflictatio exsurgit cum rubrorum signorum exitio.

Aliae subeunt personatorum turmae, et pacis currus, dicax asperaque armatae pacis effictio.

*Ad medium tandem properat nox volvere cursum; organa fessa lacent, sed nova cura premitt. Ornantur mensae, dapibus modo pectora versant, lubrica dicta volant, gallica vina fremunt.*

Obscoenitas et libido summum attigit culmen; at ex improviso

*Cur trepidant animi? cur tetra silentia subsunt? Turbas in medias praecipitatur anus, ossea larva magis; faciem persona recondit pullis et tunicis corpora foeda tegit. Mors patet ipsa, patet Lilitina virisque minatur, gaudia quae miseris, invida diva, rapit. Unci sunt pedibus, risus suggillat in ore; laeva manus falcem, dextra flagella vibrat.*

Sollicitate preces — bis rudit in agmina monstrum — sint modo probra satis, mortis et hora subit; tollite personas, pudeat, mirabile vulgus, tollite personas, ne sua quisque tegat; turpia si fuerint, fuerint si sordida, prodat (poeniteat tandem) se, sua quisque mihi! — Ringitur horrisans, falcem quassatque flagellum et passus celerans, urget adunca pedes,

*Quo modo convolvit bacchantes saeva voluptas non audent monstri verba nec ora pati; pectora, membra tremunt, voces neque fancibus [adsunt, unus inest animus, spes modo sola fugae. Praecipites instant foribus sed postibus haerent; nescia rumpit ovans obvia turba vias. Mors sequitur minitans, personas falce revellit, una detectos ira metusque premit. ... Quo Charites albo properant velamine gressum? En tandem, rapto tegmine, et ora patent; mirantur profugi, derumpunt ore cachinni: virginis haud facies, terna patescit anus; turpes et rugis vultus flagitia foedant; vilior haud lena est, sordida nec merevir. Nudus amor limido pertentat limina passu; Mors lateri pannum, falce rotante, secat. Arripit et trepidum (quid vanum intenderat arcum?) et ferit intactas verbere saeva nates. Horrescant turbae, vigilum confunditur agmen, sonti qui poenas, vindice lege, parent. Mors filum trahitur quo lumen electrica frangit; lumen abest, tenebras caeca theatra pavent. Cellarum sistentes summo Mors ordine frendet; — Vae miseris! Hodie ut mihi crasque tibi! Diffugunt omnes, cessat lascivia tandem et novus exoriens lucet in orbe dies.*

Ita explicit carmen, quod si in aliqua parte prolixius, quia nimia fortasse voluit actor in «Pervigilium» hoc introducere, et etiam veris commenticia addidit, quod certe ad vim honesti propositi sui de castigandis moribus augendam fecit, argumentum profecto insolitum et ex novissimis moribus desumptum tractans, bene de latinis litteris, ut innuimus, ex parte sua meritus est.

#### FORFEX.

#### NOVUM CERTAMEN POËTICUM "RUSPANTINUM"

Ad diem xv proximi mensis Decembbris novum indictum est certamen poëticum latinum, apud Romanum Athenaeum, sumptibus legati Ruspantinii constitutum. Praemium victoris erit summa duorum millium libellarum italicarum, quae per ipsius athenaei arcam solvetur.

Certaminis leges hae sunt:

I. Concursus liber est cuique, sive italicico, sive exterarum gentium civi.

II. Singula carmina, non minus versibus quinquaginta exarata atque scriptoria machina exscripta, hac inscriptione mittentur: *Preside della Facoltà di filosofia e lettere della R. Università di Roma — Premio Ruspantini.* —

III. Carmina ipsa non nomine auctoris subsignata, sed munita aliqua sententia erunt, super seiuncto involucro per sigillum clauso iteranda. Involucrum autem schedulam recondet nomen et domicilium auctoris continentem; quae ita certaminis iudicibus ignota manebunt.

Sed feliciter ad *Tank* latine nominandum nulla opus est novata voce; sed iam Fornarius tres proposuit vel *castellum*, vel *testudinem*, vel Graecum *hellepolim*, quae mihi quidem non displicent omnino. At magis placet vetus etiam vocabulum, sed neque Graecum ut *hellepolis*, neque adeo commune ut *testudo*, neque quidquam fixum significans ut *castellum*. *Essendum* tibi innui in superioribus litteris, cuius *essedi* proprietates protinus explicabo. Iis, meo quidem iudicio, rei qua de agitur significandae magno opere accommodatur.

Iam vero si etymon attendimus, *essendum* dictum videtur, — ait Forcellinus, — ab *aīσσω*, i. e. cum impetu feror. Nonne artificium illud bellicum in Germanos cum impetu ferebatur, cunctis obstaculis superatis, quae ex iniquitate soli proveniebant, ex fossis, ex aggeribus, ex nubibus denique telorum?

Nunc si quis roget quid fuisse antiquus *essendum*, cum Vossio respondebo: «Vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli». Unde iam habemus artificium illud fuisse currum bellicum, cuius motus in hostes satis violentus, in quo nemo non videt cum *tank* hodierno convenire.

Sed gradum addamus. Quinam primum *essendum* adhibuerunt? Et in hoc mirabiliter non similitudinem, sed paritatem habet *essendum* cum recenti tormento bellico; nam ut si de *tank* loqueretur, sic scripsit Forcellinius: *Essendum* est vehiculum Gallorum et Britannorum apud Belgas primo repertum, vehendis quidem hominibus oneribusque aptum, sed a Gallo praecipue Britannisque usurpatum in bello, quem ex eo pugnare soliti essent». Atque in eo quidem testimonio, praeter illud etymi quod ex ipsa voce prodit, adparet et eadem origo et idem usus et idem ferme locus, ubi primum est usurpatus uterque currus bellicos et recens *tank* et *essendum* vetus.

*Ego cur adquirere pauca si possum invideor?*

Neque opponas *essedum* birotum fuisse atque equis tractum; etenim in adplicandis praesentibus rebus antiqua vocabula non paritatem quaerimus, sed quam maximam in adjunctis similitudinem.

Si tibi et lectoribus satis fecerim ex animo mihi gratulabor; sin minus iudicium melius aliis relinquo. Tibi obsequentissimus. Vale.

Cervaria, VII Kal. Novembres 1932.

Hisce litteris grato illo animo relatis, quo amicorum scripta in commentario nostro edenda accipio, liceat mihi, in causam, prouti vulgo dicitant, vocato, non nulla ad rem addere.

*Castellum* proposui unice si placuerit versionem litteralem et bellicam simul anglice vocis *tank* adhiberi; ipse autem fixitatis — (sit venia verbo) — notam in *castello* animadvertis; quamquam addidi: si pharsi usi fuerimus « admovere castellum » aut simili, ecquis non intelligat de machina bellica agi, castelli ad instar munita?

*Helepolim* — (non *hellepolim*) — attuli, si testudineae machinae — (*helepolim* enim tamquam testudinis genus Ammianus considerat) — magnitudinem, et ruinam ab eo inductam asserere voluerimus.

Sed *tank* dicere malui *testudinem*, vel addito, ad naturam rei peculiariter indicandam, adiectivo *ballistariam*, ut Romani sive ex fine, sive ex tormento bellico quo potissimum uteretur, qualificationem testudini apponebant *aggrestitiae*, *fossoriae*, *arietariae*, etc.

Non commune igitur, Jové mi, nomen suggesti, sed et singulare et proprium; quam proprietatem ostendi ex duabus testudinum descriptionibus explicatissimis a Vitruvio depromotis, in quibus similitudo cum *tank* non solum extreunctione, figura, bellica vi, sed ex ipsa machinae motione

apparebat: « Ea machina — ita Vitruvius — sex modis movebatur, progressu, item latere dextra ac sinistra; porrectione non minus in altitudinem extollebatur et in imum inclinatione demittebatur ». Hercle! haec verba hodie referens, Vitruvianam hanc testudinem in hostes procedentem non aliter mihi effingere valeo, quam ut procedentes *tanks*, vidi... a *cynematographo* oculis meis subiectas!

Quid ex adverso de tuo *essedo*, vel *essedam*? *Essedum*, *Essedam* inter plastra semper, licet in bello adhibita, nunquam vero inter machinas bellicas, quam quidem longe lateque inquisiverim, inveni; plastra, inquam, militum plena, quae cum equitibus citato cursu procederent; qui milites opportuno tempore inde desilirent et proelium pedibus committerent. Quidquid? Audiamus Caesarem rem nitidissimis coloribus depingentem: <sup>1</sup> « Genus hoc est ex essedis pugnae: Primo per omnes partes perequitant (Britanni) et tela coniiciunt atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum ordines plerumque perturbant; et quem se inter equitum turmas insinuaverunt, ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur. Aurigae interim paullatim ex proelio excedunt, atque ita currus collificant, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant, ac tantum usu cotidiano et exercitatione efficiunt, uti in declivi ac praecipi loco incitatos equos sustineri et brevi moderari ac flectere et per temonem percurrere

<sup>1</sup> *Bell. gall.*, IV, 33. Praecedens caput hisce verbis absolverat: « Reliquos (nostros) incertis ordinibus perturbaverant, simul equitatū atque essedis circumderant ». Atque prius (cap. 24) dixerat: « At barbari consilio Romanorum cognito, praemissa equitatū et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsequuti, nostros navibus egredi prohibebant ».

et in iugo insistere <sup>1</sup> et se inde in currus citissime procurrere ».<sup>2</sup>

Caesar ipse praeterea ulterius in argu- — ait<sup>3</sup> — quum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur, intellectum est, nostros propter gravitatem armorum, quod neque insequi cedentes possent, neque a signis discedere auderent,<sup>4</sup> minus aptos esse ad huius generis hostem; equites autem magno cum periculo proelio dimicare, propterea quod illi etiam consulto plerumque cederent, et, quum paululum ab legionibus nostros<sup>5</sup> removissent, ex essedis desilirent et pedibus dispari proelio contendenter». Prosequitur, in sequenti capitulo, enarrans quomodo in sequenti die hostes Romani repulerint ut « neque sui colligendi, neque ex essedis desiliendi facultatem dedarent ».

Quibus revocatis, quid inter *essedas* et *tanks* reapse intercedere possit, ipse videas.

An ad etymon confugiendum? At si Forcellinius, dat illud: « cum impetu feror », id de vehiculo etiam biroto, ut ipse *essedam* designat, affirmari valet. Quim imo Scervellius, a quo probabiliter eadem significatio ab auctore desumpta est, habet prius: « Ruo, prosilio ». Magis autem specificie Iosephus Müller in lexico suo, sub voce αἴσσω haec habet: « Intransitive (dictum de quovis motu rapido, vehementi) celeriter surgo; celeritatem adhibeo; effuso cursu curro; irrumpo; transitive: celeriter moveo; vibro ». Quod si, iuxta Forcellinium, ex graeco αἴσσω venit quoque Italicum *aizzzo*, hoc latine sonat: « Incito adversus aliquem; instigo; stimulo; inflammo », et similia.

<sup>1</sup> Scilicet equorum, *essedo* adiugatorum.

<sup>2</sup> Hinc, ni fallor, colligere quoque possumus illiusmodi currus et in anteriore parte esse patentes!

<sup>3</sup> *Bell. Gall.*, V, 16.

<sup>4</sup> Quemadmodum nempe esset necessarium, ut essedarios perseverentur, eosque oblique ac seorsum vexarent.

<sup>5</sup> Scil. equites.

Neque satis. Forcellinius enim notat *essedum*, vehiculum illud birotum, paullatim in usum Romanorum transisse... ad quid? « Tum ad itinera, tum oneribus vendendis », pluraque affert scriptorum effata, inter quae Ovidii illud:<sup>1</sup>

*Sen rate caeruleas picta sulcavimus undas;  
Esseda nos agili sive tulere rota.*

Eho! finge tibi cum Ovidio aliquem in *tank* deambulantem!...

Haec, o rerum dulcissime, habui quae tuis animadversionibus currenti calamo obiicerem; ac spero futurum ut inde mihi non succenseas, quemadmodum tibi contigit quum *pinnam* a telescopio tuo reieci, contentus lentem speculatoris illius instrumenti minimam appellari *lenticulam*. Aculeato nimis dente me tum carpsi de noto frutice ludificans; at, tuo impetu tractus, — (*αιχθείς* ne?) — minime fortasse cogitasti, eiusmodi legumen ob ipsam parvulae lentis formam *lenticulae vulgare* nomen accepisse!

Vale.

I. F.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

DE NOVA HYPOTHESI CIRCA STRUCTURAM ET EXPANSIONEM UNIVERSI.

Plures locuti sumus de hac questione, in quam paeclarissimi viri constanter insistunt.

Einstein et De Sitter recens in hoc convenerant, in praesenti statu nostrae cognitionis, non esse cur assignemus curvaturam spatii potius positivam quam negativam; satis esse immo etiam si nullam ponamus curvaturam.

<sup>1</sup> *Ex Ponto*, II, X, 33-34.

Doctor E. A. Milne, ut *Nature* refert in primo numero superioris mens. Iulii, novam nunc hypothesis de expansione universi proponit.

Sit universus in initio temporum, velut sphaera in spatio euclideo, repleta particulis materialibus, quae proprio motu agitantur, propriamque velocitatem retineant; supponunt enim rarissimae, ita uta collisiones et actiones mutuae excludi possint.

Post aliquod temporis fluxum, velociores inter illas invenientur extra sphaeram; non est enim cur exire nequeant, sed per amplissimas curvas iterum redibunt.

Per huiusmodi hypothesis problema dynamicum universi, - sic auctor affirmat, - facilius solvetur, et admittenda sufficiunt postulata prioris doctrinae «relativitas».

#### EX OMNIBUS NATIONIBUS CONVENTUS DE ELECTRICIS REBUS.

Superiore mense Iulio Parisios convernunt viri periti ex omni orbis parte, ut de electricitate eiusque applicationibus agerent.

A die quarta ad duodecimam plus quam ducentae orationes et disceptationes habitiae sunt, circa argumenta iam antea proposita, per plures sectiones distributa.

Prima sectio erat circa problemata quae de doctrina electricitatis et magnetismi, de electronica, necnon de phoenomenis thermoionicis, de structura atomorum, de ratione ondulatoria insurgunt.

Secunda sectio de mensuris electricis; tertia de producenda et transformanda electrica vi; quarta de vi transmittenda; quinta de tractione electrica; sexta de lumibus electricis; septima de electrochimia; octava de telecommunicationibus; nona de radiocommunicationibus; decima de radiologia; undecima de magnetismo terrestri; duodecima de aliis electricitatis applicationibus; decimatertia denique de historia electricitatis egit.

#### DE PHAENOMENIS SUPERCONDUCTIONIS.

Mac Lennan doctor in officina criogenica apud athenaeum Torontinum, ex mensuris resistentiae electricae in superconductoribus haec deduxit: verificatur augmentum resistentiae pro «currenti continua» si ipsi addatur «currens alterna» altioris frequentiae; item verificatur diminutio resistentiae pro currenti alterna altiae frequentiae si ei addatur currens continua.

Aliis verbis affirmari posse appareat, fluxum currentis continuae favere superconductivitati, fluxum vero currentis alternae officere. In inquisitione autem de machinali artificio superconductivitatis, Dorfman doctor ex instituto physico-technico Lenigradi, processus in variatione caloris specifici prope «temperaturam criticam» apte sequi potuit inquirendo in effectum Thomson, et ex mensura virium thermoelectricarum deducendo ipsum calorem specificum.

Anomalia, quae expectanda erat, bene manifesta appareat in hoc processu. Methodus sic introducta viam etiam sternit ad inquirendum qua ratione numerus electronum in comparatione cum numero atomorum interesse possit.

#### DE QUODAM NOVO LUCIS EFFECTU IN METALLA.

Doctor Majorana refert exitus investigationum, quas ipse in instituto physico Archigymnasii Bononiensis inivit de effectu lucis super lamina metallica.

Si lamina argentea exponatur radiis lucis pulsantis, cum frequentia audibili, fluxus electricus qui in laminam immittatur, pulsationes lucis reddet, ita ut, si debita amplificatio inducatur, sonus illius frequentiae audiatur.

Autumat auctor, effectum lucis in agenda metalli resistentia consistere.

Pro argento lux activa est in regione ultraviolacea, et resistentiae augmentum in ratione unius partis ad decem millia computari potest.

#### NOTITIUNCULAE.

In recenti defectu solis, die trigesima prima sup. mensis Iulii, umbrae plenitudo per duas circiter horas permanxit, ab hora decimanona cum quatuor momentis, ad horam vigesimam primam cum duobus momentis temporis Greenwich.

Interest cognoscere utrum eo tempore peculiares perturbationes in undarum electricarum propagatione factae sint.

#### COLLOQUIA LATINA

##### XII.

#### Vestitus et deambulatio matutina.<sup>1</sup>

MANRICUS, BALBINUS, GASPAR servus,  
IOANNES.

MANRICUS. - Nempe hoc assidue? Iam clarum mane fenestras intrat. Numne tamdiu somno indulsti, ut indomitum despumare Falernum sufficeret?

BALBINUS. - Apparet profecto insanire te; nam alioqui nec tam multo mane esses experrectus, nec versos funderes, et quidem satyricos ...

MANR. - Accipe ergo epigrammatarios adentulos et salsos:

*Surgite tam, pueri, vendit ientacula pistor,  
Cristataeque sonant undique lucis aves.*

BALB. - Istud de ientaculo citius mihi somnum excuteret, quam clamores tui.

MANR. - Festivissimus nugator ego tibi precor felicem hunc diem.

BALB. - Et ego tibi faustum noctem, et bonum cerebrum.

MANR. - Quaeso te, serio responde, si modo serio potes unquam loqui: quam horam censes nunc esse?

<sup>1</sup> Ex colloquis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

BALB. - Mediam noctem, vel plus paululum.

MANR. - In quo horologio?

BALB. - In meo domestico.

MAN. - Ubi tandem est tuum horologium domesticum? Tu ut horologium unquam habueris, aut inspexeris, cui omnis hora est semper dormienda, edendi, ludendi; studendi vero nunquam?

BALB. - Atqui hic habeo horologium mecum.

MANR. - Ubi? Ostende.

BALB. - In meis oculis: vide ut nulla vi aperiri possint. Obdormi rursus, obseruo, aut certe tace.

MANR. - Quid malum est carosis haec, seu verius lethargus et mors quaedam? Quamdiu putas nos iam dormisse?

BALB. - Horas duas, vel ad summum tres.

MANR. - Ter ternas.

BALB. - Qui fieri istud potest?

MANR. - Gaspar, contemplare in solario propinquae turris municipalis quota sit hora.

BALB. - Apage solarium, quum nondum sit ortus.

MANR. - Ortus vero? Aperi fenestram istam vitream, heus tu, Gaspar, ut verbet sol huius oculos suis radiis; plena sunt iam sole omnia, et umbrae minores.

BALB. - Quid tibi est rei cum ortu solis et occasu? Sine illum priorem te surgere, cui maius est conficiendum iter diuturnum. Gaspar, horam aspicio et in horologio machinali et in gnomone.

GASPAR. - Utrumque sum intuitus. In solario parum abest umbra a secunda linea; in horologio machinali digitus indicat horam paulo minus sextam.

BALB. - Quid narras? Aliud ergo agendum restat tibi, ut huc ducas fabrum ferrarium, qui forcipe disiungat has palpebras tam affixas: dic ei, revellendam esse e foribus seram aliquam, cuius sit amissa clavis.

GASP. - Ubinam habitat?  
MANR. - Iste vero serio arcesseret! De sine iam nugari et surge.

BALB. - Surgamus tandem, quando ita obstinasti animo. Vah! quam odiosus es sodalis!

MANR. - Feliciter tibi procedat haec lux.  
BALB. - Et tibi haec eadem et aliae quamplurimae laetae ac faustae. — Gaspar, afferto subuculam mundam; nam hanc iam toto sex dies gestavi.

GASP. - Mavis hanc cum patagio et collari amido rigidis?

BALB. - Placet. At iube famulam resuere abeuntem hunc globulum a subacula, et quidem filo serico.

GASP. - Non habet.

BALB. - Lineo igitur, aut laneo, aut laqueo, quo se suspendat!... Nunquam famula haec habet quod est opus; quod vero non est opus; affatim! — Te vero, Gaspar, ego nolo esse divinatorem. Exequere mandatum meum, et renuncia; ne harioleris quid sit futurum. — Excute pulverem e femoralibus concussu, hinc purga diligenter peniculo illo saetaceo. — Da subligaculum.

GASP. - Nonne prius interulam?

BALB. - Non; nam ex luce solis colligo diem fore calidum. — Cedo mihi thoracem et tunicam illam exquisitiorem.

MANR. - Quid istuc rei est? Quoniam ire cogitas, ut tam ornes te praeter morem tuum, praesertim quem sit dies profestus?

BALB. - Et tu cur induisti vestitum recentem ab officina?

MANR. - Dedi ceteros resarcendos.

BALB. - Et ego in meis commoditatem potius specto, quam ornatum. — Hui! limbus hic femoralium est dissutus et diserptus. Gaspar, cura reconcinnandum; sed vide, ne assuantur deformes commissurae.

GASP. - Non poterit id perfici ante sesquihoram.

BALB. - Affige ergo pro nunc acicula. — Pectorale hoc condito in arcum, nec

proferas tota aestate. — Tolle has soleas et appone calceamina.

GASP. - Ocreas cum crepidis longi ostraguli, an calceolos?

BALB. - Hos, hos... At strigmenta strenue sunt exarmata suis ferreis!...

GASP. - En tibi nova et bene solida.

BALB. - Ipse immittas in calceos, quos prius melius exterseris luto ac nitidaveris. — Manrice, accomoda mihi tuum pectinem.

MANR. - Ubi est tuus non corneus, sed eburneus, et quidem Parisiensis?

BALB. - Nonne audisti me heri obiurgantem Gasparem?... Fregerat quinque aut sex radios pectinis ex densis; ex raris pene omnes.

MANR. - Accipe ergo meum. — Sed quid agis? Hoc non est pectere, sed mulcere. Cedo pectinem.

BALB. - Neque istuc est pectere, sed radere aut verrere: credo habere te caput testaceum.

MANR. - Et ego te butyraceum; adeo non aedes attingere.

BALB. - Vis tu igitur ut mutuo arietemus capita?

MANR. - Nolo tecum contendere insania, neque committam bonam mentem meam cum tua dementia. Ablue iam tandem manus et faciem; sed os potissimum, quo mundius loquaris.

BALB. - Utinam adeo cito animum perpurgarem ut manus! Dato malluvium.

MANR. - Confrica paulo diligentius nodos istos manus, quibus haerent sordes satis densae.

BALB. - Falleris; nam puto esse potius decoloratam pellem et rugatam.

MANR. - Prodeamus iam tandem, ne amittamus optimum deambulandi tempus.

BALB. - Exspecta dum causia me tegam.

MANR. - O virum Sparta dignum!...

BALB. - Exeamus urbe.

MANR. - Exeamus; ego hac tota hebdomade pedem porta non extuli. Sed quo ibimus?

BALB. - Ad arcem, si tibi placet, vel ad moenia Carthusiana.

MANR. - An potius ad prata?

BALB. - Minime illuc de mane; ad serum potius.

MANR. - Ergo ad Carthusianos. Oh! ecce tibi Ioannes. — Salvus sis, Ioannes.

IOANNES. - Et vos plurimum. Quid istuc tam insolitum? Tam bono mane surrexistis?

BALB. - Ego quidem arctissimo somno eram consopitus; sed Manricus hic clamaudo et tundendo avellit me e lectulo.

IOAN. - Recte fecit; nam totum te reficit et recreabit haec deambulatio. Eamus per pomoerium. — O admirabilem et adorandum artificem tantae pulchritudinis! Non immerito vocatur opus hoc mundus, et a Graecis *cosmos*, quasi ornatus et elegans.

MANR. - Ne contente ambulemus, sed lente ac molliter. Conficiamus, queso, in hac moeniali ambulatione duo aut tria spatia, quo otiosius et liberius tam decoram speciem contemplemur.

IOAN. - Attende: nullus est sensus, qui non egregia aliqua voluptate perfruarit: oculi primum. Quae varietas colorum, qui vestitus terrae et arborum! Qui tapetes, quae picturae comparari huic possunt? Haec sunt naturalia et vera, illa altera ficta et falsa. Non iniuria vates ille Maium mensem appellavit *pictorem mundi*. — Iam aures! Qui concentus avium et potissimum lusciniae! Ausculta eam e salice, a qua (ut Plinius inquit) perfectae musicae scientiae modulatus editur sonus. Animadverte accurate et adnotabis varietatem omnium sonorum: nunc non interquiescit, sed continuo spiritu in longum aequabiliter, sine mutatione; nunc inflectitur; iam minutius et concisis canit; nunc intorquet et quasi crispata vocem; nunc extendit; iam revocat; alias longos concinit versus, quasi heroicis; alias breves, ut sapphicos; interdum brevissimos, ut adonicos. Quin etiam quasi musicae ludos et scholas ha-

bent. Meditantur aliae iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna (utinam nos praecoptores nostros pari!) et reddit, vicibusque reticent. Intelligitur emendatae correctio, et in docente quaedam reprehensio. Sed illas inducit natura recta, nos voluntas prava. — Adde his: qui odor spirans undique ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis agris cessantibus et squallidis. Sapor, quidquid ori admoveas, vel ex ipso aere, qualis primi et tenerrimi mellis.

MANR. - Hoc puto esse, quod a nonnullis audivi, aves consuevisse mel suum colligere mense Maio ex caelesti rore.

IOAN. - Ea fuit multorum opinio. Si quid vis dare tactui, quid mollius aut salubrissus hac aura ubique spirante, quae salutari spiritu per venas et universum corpus sese insinuat! Venit mihi nunc in mentem versuum aliquot Vergili de vere, quos utique cantillabo (si me potestis ferre) voce mea non olorina, sed anserina: tametsi hanc malo, si non alias cygnus canit dulce nisi fato suo proximus.

BALB. - Ego quidem, ut pro me respondeam, vehementer eo versus cupio audire qualicumque voce, modo etiam exponas eos nobis.

MANR. - Nec ego ab hoc dissentio.

IOAN. - Audite igitur:

*Non alios prima crescentis origine mundi  
Illuxisse dies aliumve habuisse tenorem  
Crediderim. Ver illud erat, ver magius agebat  
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri,  
Cum primum lucem pecudes hausere, virumque  
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,  
Inmissaque ferae sylvis et sidera Caelo.  
Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,  
Si non tanta quies iret, frigusque caloremque  
Inter, ei exciperet Caeli indulgentia terras.*

BALB. - Non satis intellexi.

MANR. - Ego, ut reor, multo minus.

IOAN. - Ediscite nunc eos; alias intellegitis; sunt enim desumpti ex intima philosophia, ut alia vatis illius permulta.

MANR. — Quaeramus ab Orbilio litteratore, quem habemus obvium.

JOAN. — Immo est homo non admodum obvius. Salutemus modo, et sinamus adire hominem rabiōsum et plagosum, ingentis superciliī, imbutum magis litteris, quam eruditum, tametsi persuasit sibi serio esse litteratorum *alpha*. Ceterum diximus de corpore. Quid porro animū et mentem? Quantopere exhilarat et excitat huiusmodi aurora! Nullum est tempus ad discendum aequa idoneum, nullum ad percipiendum continendumque quae audias, quaeque legas, neque aliud ad meditandum et excoigitandum, quocumque applicaris animū. Non immerito quidam dixit: *Aurora gravissima Musis*.

BALB. — Sed ego iam extimulor appetitiae: redeamus domum ientatum.

MANR. — Quid tandem?

BALB. — Panem, butyrum, cerasa, pruna cereola, vel similia.

MANR. — Bibemus vinum?

BALB. — Minime vero, sed cerevisiam, et quidem tenuissimam, ex flava illa Lovaniensi; aut, melius, aquam e puro fonte haustum.

## ANNALES

### Varia.

Haud magni momenti eventus in superiore mense Octobri contigerunt. Quae ideo recolenda sunt, paucis exponi possunt:

Genevae publici iuris factus est libellus legatorum a Societate Nationum electorum ad Mandchourianas res inquirendas: in universum Sinensibus savent iudicio, proponuntque peculiarem in illa regione administrationem latamque libertatem, sub dominatu tamen Sinensem; non igitur mirum quod adversa Iaponiorum voluntas vehementius a libello illo excitata sit.

<sup>1</sup> Ex AMMIANI MARCELLINI *Rerum gestarum* libris.

\* \*

Quod ad quaestionem attinet de mi-  
nuendis ubique armorum viribus, nunci-  
atum est Galliam rogationem suam pa-  
rare. Dictant, iuxta ipsam, nationibus ad  
aequiparanda armorum genera proceden-  
dum esse, eo quidem fine ut ad stabi-  
liorem statum magisque aequum devenia-  
tur.

\* \*

In Brasilia pax «Paulistas» inter atque  
rei publicae gubernium initia tandem est;  
quo vero pretio!... Belli enim civilis illius  
victimae ad viginti hominum millia nume-  
rantur!

\* \*

In Italia decennium a constituto fascium  
regimine sollemniter est celebratum.

POPULICOLA.

## VARIA

### Obeliscus.<sup>1</sup>

Est obeliscus asperimus lapis in figura-  
ram metae cuiusdam sensim ad proceri-  
tatem consurgens, paulisper specie qua-  
drata in verticem productus augustum,  
manu levigatus artifici. Formarum autem  
innumeris notas, hieroglyphicas adpellatas,  
quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiae vetus insignivit auctoritas.  
Voluerum enim ferarumque, etiam alieni  
mundi, genera multa sculpentes, ad aevi  
quoque sequentis aetates ut patratorum  
vulgatus perveniret memoria, promissa  
veluti soluta regum vota monstrabant. Non

enim, ut nunc, litterarum numerus praes-  
titutus et facilis exprimit, quidquid humana  
mens concipere potest, ita prisci quoque  
scriptitarunt Aegyptii; sed singulae litterae  
singulis nominibus serviebant et verbis;  
nonnunquam significabant integros sensus.  
Cuius rei scientiae in his interim sit  
duobus exemplum. Per vultarem naturae  
vocabulum pandunt; quia mares nullos  
posse inter has alites inveniri rationes  
memorant physicae: perque speciem apis  
mella conficientis indicant regem, moder-  
atori cum iucunditate aculeos quoque  
innasci debere his signis ostendentes, et  
similia plurima.

Qui autem notarum textus obelisco  
incisus est veteri, quem videmus in circo,  
Hermaphonis librum sequenti interpreta-  
tum litteris subiecimus Graecis.

\* \*

### Fures.

Fures, qui se per ruinosum parietem  
in aedes quasdam insinuaverant, quum  
quod auferre possent nihil reperirent, gal-  
lum forte cantantem comprehendunt et  
secum asportant. Quem iugulaturi orantur  
ab eo, sibi ut parcant, suum enim cantum  
utilem hominibus esse, quos excitet e  
somno ad opera et laborem. Tum fures:  
«Eo libentius — inquiunt — te occiderimus,  
qui eos suscites, quorum vigilantia obstet  
conatibus nostris».

Fabula significat, malis ea maxime ad-  
versari, quae bonis prosunt. Monet et hoc,  
imprudentes ea saepe defensione uti, qua  
magis adversariorum audiuvetur, quam  
sua.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Ius domesticum.*

*Crustae ex polenta, lucanica con-  
tinentes.*

*Costulae agninae assae, daucus carotis  
circumfusae.*  
*Faseoli ad butyrum acti.*  
*Cydonia composita.*

\* \*

### Locosa.

Tuccio Mater comparat edendum ovum  
in frixorio decoctum.

Tuccrus intuens meditabundus: — Atqui  
si aliquot menses exspectarem, pullum  
assum edere possem!

Tuccio amicus offert veteris vini pocil-  
lum:

— Vinum hoc triginta annos numerat...

Tuccius: — Annos triginta dicis? Her-  
cle! pro hac sua aetate parvum equidem  
adest!

\* \*

### Aenigmata.

I.

Virtutes magnas de viribus affero parvis.  
Pando domus clausas, iterum sed claudio pa-  
tentes.

Servo domum domino, sed rursus servor ab  
[ipso.

II.

Sunt mihi, sunt lacrimae, sed non est causa  
[doloris.

Est iter ad caelum, sed me gravis impedit aer,  
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Coclea, Coclear*;  
2) *In vino veritas*.

Socios in solvendo adhuc lentos  
vehementer rogamus velint quamprimum  
rationes suas nobiscum exae-  
quare.



DE ROBERTI SCOTTI  
NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[11]

C MAR 40

Nuntiatur aquam ascendere iam ad ferrream prunae craticulam. Et lambere coepit lebetem vaporarium, et calefacta magis et magis aqua circumflua, penitus extingui ignem oportuit. Et viri quidem, usque ad colla mersi aqua, antliarum purgabant spiramenta,<sup>1</sup> sed res non succedebat satis. Strepebat unda in machinario,<sup>2</sup> quum subito clamant per rimas puppis ascendere fumum. Qui locus, proximus machinae, referitus erat carbone. Ut nascentibus gasibus et fumo fieret via, operculum summi tabulati aperiendum erat, sed qui id fecisset, immissa unda mersisset navigium. Respiraverunt homines, quum esset cognitum non esse incendii fumum, sed esse vaporem aquae in machinarium refusae. Quum iam ad servandam navem nihil esse videretur reliquum, pars hominum hamis cooperunt exhauire aquam, pars aperire conabatur antlias. Sic saltem effectum est, ut aqua non cresceret, et facto in saepimento<sup>3</sup> machinarii foramine, Evanius tribunus per carbones descendit in puteum antliarum. Tum vero brevi purgato spiramento cum summa omnium laetitia copiosior aqua

<sup>1</sup> «Spiramenta» dico, qui sunt Germanice *Ansaugen*, Gallice, nisi fallor, *Aspiraux*.

<sup>2</sup> «Machinarium» novato nomine appellavi locum vel domum machinae vel machinarum, quem nos *Maschineraum* vel *Maschinenhaus* vocamus; Galli *Salle des machines*.

<sup>3</sup> Das Schott hic «saepimentum» feci. Schotte sunt parietes impervii undis, quibus cavetur in navibus, ne quando casu attritae totae impleantur aqua et mergantur. Collocantur autem per transversum carinae. Hodie id genus saepimentorum eo numero in navibus instruitur, ut navis natet, etiamsi bina membra vicina sic dissaepta compleantur.

ejectari coepita est. Sedata etiam tempestate in nave corpore unda magis et magis decrevit, et, qui pridie cantu spem simulantem tacite de sua salute desperaverant, III Nonas Dec. cursum direxerunt ad antarctidem. Fracti erant navis cancelli, interierant duo equuli, ablata erant trecenta litra<sup>4</sup> petrolei et decem amphorae carbonum et vas spiritus biologi.<sup>2</sup>

Ex a. d. V. Idus Decembres, quum sexagesimum sextum gradum latitudinis attigissent, afferri coepiti sunt glaciei montes.

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Num tibi vituperandus videor, quod decimetreum cubicum Latine «litrum» appellaverim recepto hodie a plurimis nationibus nomine? Ne illi viri optime de universo genere humano meriti esse dicendi sunt, qui pondera ex aqua, et mensuras ex ambitu terrae constituerunt. Quorum mihi etiam semper placuerunt vocabula, ut «metrum», «centimetrum», «chilometrum», «chilogramma». Nam si usquam «licuit praesente nota procedere... nummum», quid significans Graeco fonte et Latino detortum dicas, quam haec nomina? — Hic Larousse meus novit *litre* derivari ex *litron*. Litron esse antiquam mensuram corporum liquidorum et aridorum, et fuisse sextam decimam partem mensurae, quam illi *boisseau* vocassent. In quodam vocabulario video proponi «quadrantem», quartam sextarii partem, sed proprie dixeris novo vocabulo, «litrum».

<sup>2</sup> Neque intelligeres, si quodam auctore «spiritum» chemicorum vocitare instituisssem «acriorem liquorem».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS